



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm

Dript, Laurentius a

Nevhsii, 1673

Caput Decimum Septimum. Encomium Marianum Vigessimum Speculum
Justitiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43641

in matrem quam filium erigimus : respon-
detque mox ex *Bernardo & Anselmo* : *Quia*
in matrem à filio divina pietas derivatur abs-
que justitiæ terrore. In filio licet attrahat pietas
terret tamen potestas. Scimus judicem eum a-
deo exactum, ut rationem de verbis etiam otio-
sis sit exacturus. Igitur terrore acti ad sinum
Matris nostræ Virginis Beatissimæ confugimus:
Securi de salute si ab ea numquam recedamus.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Encomium Marianum Vigésimum

SPECULUM JUSTITIÆ.

NON ad exiguam Augustissimæ celo-
rum Imperatricis gloriam & magni-
ficentiam spectare arbitror, quod à S. Ma-
tre Ecclesia utique Spiritus sancti inspira-
tione ducta *speculo* comparetur. Et non cui-
cumq; sed *Speculo justitiæ*, sive hoc factum
ob nobilissimas speculi proprietates, ex-
cellentesque conditiones, quod sive ani-
matarum, sive inanimatarum constitutio-
nes ad vivum repræsentet, quod quæ in eis
fœda, deformia aut formosa pulchra oc-

cultâ quâdam vi demonstrat: sive hoc factum ob similitudinem quam habet cum illo æterno speculo, *æterna Dei sapientia verbo Dei in excelsis*: quam cum magnis proximisque præconijs illud sapientiæ oraculum Rex Salomon celebrasset, atq; aurum argentum, thesauros lapidesq; pretiosos nihil esse duxisset in comparatione illius: tandem illius excellentiam paucis comprehendere volens: *Candor est inquit lucis æternæ speculum sine macula sap. 7.* Angelorum quoque naturas describens Divinus Dionys. cap. 6. de Div. nom. inquit eos esse *Agalmata*, id est *specula clarissima, immaculata divini luminis receptiva, & ipsius alijs manifestativa ac ostensiva, quia scilicet illud quod Angelus gustando & contemplando divinitus percipit alijs inferioribus notificat & transfundit.* Continuo enim faciem patris contemplatur & illud quod ibi viderit ad alios transfundere comprobatur: superiores enim illuminant inferiores, & lumen quod à Deo recipiunt influunt in minores. Ad has utiq; prærogativas respexisse videtur S. Mater Ecclesia, dum Virginem gloriosam speculo justitiæ comparare voluit.

§. I.

Speculum ergo *Iustitiæ* eam appellat: sumendo justitiam generaliter in quantum est omnis virtus & ut dicit statum omnium virtutum aggregatione perfectum, sicuti de ea frequens in sacris litteris fit mentio: *Attendite ne faciatis justitiam vestram coram hominibus, & nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum non intrabitis in regnum celorum:* unde juxta hanc intelligentiam solemus eum qui omnibus est exornatus virtutibus, justum vocare, uti dicit *S. Script. de S. Ioseph. Ioseph autem cum esset justus*, id est perfectus in omni virtute: dicendo ergò **MARIAM Speculum Iustitiæ**, idem fuit ac si diceretur Speculum omnis sanctitatis, justitiæ, & veritatis, speculum mundissimum, in quo omnium virtutum infusarum species clarissime reluceant, speculum in quo quid cavere, quidve æmulari quilibet possit, resplendeat: quamvis enim certum sit, in *B.* quoque Virgine fuisse eam *Iustitiam* quæ in rigore est *Iustitia*, & à Theologis definitur esse *constans & perpetua voluntas jus suum cuiq; tribuendi*, utpote in qua fuit habitus

gratię sanctificantis intensissimo in gradu, ex quo veluti proprietates ab essentia dimanant fides, spes, charitas, justitia, ac omnes virtutes morales infusę : nihilominus quia justitia rigorem quendam & austeritatem sonat, Virginique benedictę singulariter misericordię regnum sit commissum in quam uti *Encom. preced. ex Anselmo & Bernardo* ostendimus, misericordia sine justitię rigore sit derivata, placet magis à justitia strictè sumpta abstrahere, & eam secundum generalem rationem jam ante explicatam sumere ac interpretari.

§. 2.

Sed ecce divinum hoc justitię ac omnis sanctitatis Speculum omnibus nobis clarissime ob oculos ponit, digito veluti omnes virtutes in ea relucentes demonstrans *Pręsul Mediolanensis Ambros.* cujus authoris verbis aliquid superaddere præsumptuosum esset: *Sit igitur quartus Ecclesię hic Doctor vobis tanquam in imagine descripta virginitas, vitęque Beatę Marię, in qua velut in speculo refulget species castitatis, & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magisteria expressa*

expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis ostendunt. Primus discendi ardor nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei matre? quid splendidius ea quam splendor elegit? quid castius ea qua corpus sine corporis contagione generavit? nam de ceteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore sed etiam mente, qua nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto divitiarum, sed in prece pauperis spem reponens, intenta operi verecunda sermone arbitrum mentis solita Deum querere non hominem: nullum ledere, bene velle omnibus, assurgere majoribus natu, equalibus non invidere, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu lesit parentes, quando dissensit à propinquis? quando ista fastidiuit humilem? quando derisit debilem? quando vitavit inopem? eos solos solita virorum catus invisere quos misericordia non erubesceret, neque prateriret verecundia. Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu in verecundum, non gustus fractior, non incessus solutior, non impetulantior: ut ipsa corporis species simulacrum

fuc.

fuerit mētis, figura probitatis. Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci & à primo pratendat ingressu nihil intus latere tenebrarum: ut mens nostra nullis repagulis corporalibus impedita tanquam lucernæ, lux intus posita foris luceat. Quid ego exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam? alterum ultra naturam superfuisse, alterum pene ipsi natura defuisse? illic nulla intermissa tempora hic congeminos jejunio dies? Et si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obuius, qui mortem arceret, non delicias ministraret. Dormire non prius cupiditas, quam necessitas fuit. Et tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus: qui frequenter in somnis lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænunciat. Prodire domo nescia, nisi cum ad Ecclesiam conueniret, & hoc ipsum cum parentibus & propinquis. Domestico operosa secreto, forensi stipata comitatu, nullo meliore tamen sui custode quam se ipsa: quæ incessu affectuq; venerabilis non tam vestigium pedis tolleret, quam gradum virtutis attolleret: & tamen alios habeat virgo membrorum custodes suorum, morum autem suorum se habeat ipsa custodem. Plures erant de
- qui-

quibus discat si ipsa se doceat, quæ virtutes ma-
 gistras habet, quia quidquid egerit disciplina
 est. Sic MARIA intendebat omnibus, quasi à
 pluribus moneretur: sic implebat omnia virtu-
 tis officia, ut non tam disceret quam doceret.
 Talem hanc Evang. monstravit, talem Angelus
 reperit, talem spiritus sanctus elegit. Quid e-
 nim in singulis morer, ut eam parentes dilexe-
 rint, extranei predicaverint, quæ digna fuit
 ex qua filius Dei nasceretur? Hæc ad ipsos in-
 gressus Angeli in venti domi in penetralibus si-
 ne comite, ne quis intentionem abrumperet, ne
 quis obstreperet, neque enim comites fæminas
 desiderabat, quæ bonas comites cogitationes ha-
 bebat. Quin etiam tum sibi minus sola videba-
 tur, cum sola esset. Nam quemadmodum sola cui
 tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetæ?
 quam vero religiosa in propinquas fuerit, scrip-
 tura divina significat, nam & humilior facta
 est ubi se à Deo cognovit electam, & statim ad
 cognatam suam in montana processit, non utiq;
 ut exemplo crederet quæ jam crediderat oracu-
 lo: Beata enim inquit quæ credidisti. Et tribus
 cum ea mensibus mansit. Tanti enim inter val-
 lo temporis non fides quæritur, sed pietas exhi-
 betur, Et hoc postea quam in utero parentis
 exili-

*exiliens puer matrem Domini salutavit, prius
compos devotionis quam natura. Inde tot se-
quentibus signis cum sterilis pareret, virgo con-
ciperet, loqueretur mutus, adoraret magus, ex-
pectaret Simeon, sydera nunciarent: MARIA
mobilis ad introitum, immobilis ad miracu-
lum: conservabat inquit hæc omnia in corde
suo. Ac tandem concludens post pauca, hæc
est inquit imago virginitatis. Talis enim fuit
MARIA ut ejus unius vita omnium discipli-
na sit. Si igitur author non displicet, opus probe-
mus: ut quicumque ejus exoptat premium, i-
mitetur exemplum. Quanta in una virgine
species virtutum emicant? secretum verecun-
diæ, vexillum fidei, devotionis obsequium,
virgo intra domum, comes ad ministerium,
mater ad exemplum.*

En speculum justitiæ, speculum omnis
sanctitatis & perfectionis à S. *Ambr.* toti
mundo propositum, vivisque laudum co-
loribus delineatum: *Speculum* inquam &
Exemplar in quo quid imitari, quid cavere
& fugere debeamus, abundantissime relu-
cet *speculum* denique in quod secundum
mentem jam citati S. *Ambros.* pulcherri-
me quadret encomium illud in æternam
Dei

Dei sapientiam prolatum. *Candor est enim lucis aeternae speculum sine macula & imago bonitatis illius*, superboni & pijsissimi Dei, cuius certe bonitas clarissime manifestatur in hoc: quod bonitatem suam, in tanta plenitudine communicat Matri suæ beatissimæ, ipsam efficiens spiritus sancti omniumque virtutum sanctissimum habitaculum, & exemplar absolutissimum.

§. 3.

MAndarat olim *Moyse* Hebræorum Duci; Deus ut sacratio in quo sacerdos sacris operaturus, ac sancta sanctorum ingressurus erat, se se sacris vestibus exornabat, de *speculo* provideret, in quo nimirum sacerdos se ipsum contempleretur, ut ab omni corporis labe & macula exterius emundatus, benè decenterque compositus, in conspectu Domini appareret. Est ab eis ad nos usque laudabilis hæc consuetudo derivata, ipsamet quotidiana docente experientia ut in loco seu sacristia, in quo sacerdos Missæ sacrificium celebraturus se disponit *speculum* habeatur, utique ob eundem finem. Speculum aliud non materiale sed mysticum, in sacrario Ecclesiæ sponsæ suæ

suæ constituit nobis DEUS, Virginem in-
 quam gloriosam: quod tanto magis nobis
 in lege nova necessarium, quanto sanctitas
 sacrificij, aliorumque rituum legis novæ
 excedit sanctitatem externam ac legis an-
 tiquæ: tanto magis inquam, quanto in no-
 bis requiritur sanctitas, interior virtutum
 & gratiarum, quæ in virgine gloriosa velut
speculo lucidissimo elucent. In hoc speculo
 habent quod imitentur, suspiciant ac ve-
 nerentur humilis, mitis, devotus, castus,
 temperans aliarumque virtutum pro posse
 suo cultores: Habent iterum in eodem
 quod fugiant, despiciant ac abominentur
 superbus, iracundus, acediosus, luxuriosus,
 intemperans, alijque aliorum vitiorum a-
 matores. Eja ergo ad hoc speculum oculos
 mentis nostræ incessanter attollamus: in
 hac Virgine velut in *speculo* refulgente nos
 ipsos totos consideremus, quod in nobis
 devium deprehendimus, corrigamus,
 quod deforme deponamus, quod pulchrū
 excolamus, quod sanum servemus, in eo
 præcepta Domini infatigabiliter attenda-
 mus & quid nobis cavendum, quidve eli-
 gendum sit, ex eis sufficienter instructi ag-
 nosca-

noscamus: serviet utique hujus *speculi* intuitio assidua, ad causandum in nobis vitiorum omnium fugam, & horrorem: virtutum omnium desiderium, & amorem; & denique fragrantissimum hujus *speculi* Virginis benedictę in nobis causabit affectum experiemurq; in nobis spiritualẽ illum effectũ, quem materialem ex materiali speculo Tigridẽ accipere docent naturalistę.

De Tigride enim bestiarum omnium facile terocissima & velocissima refert *Plinius* catulos ejus in hunc modũ ab ea subduci, & capi: ipsa siquidem ad pascua prędasque sibi catulisque suis necessarias captandas egressa, ajunt venatorẽ occulte subintrare cavernam ejus, catulos rapere, ac equo velocissimo conscenso fuga sibi consulere, at bestia paulo post ad cavernam regressa catulosque sibi subreptos aspiciens, mirum in modum ferocire & furere incipit, velut si ursa raptis catulis in saltu sæviat ac odore pręsentiens viam quam ingressus sit venator: mox velocissimo eum cursu insequitur, quem etiam facile quantocumq; longo se spatio pręcesserit assequeretur, nisi venator hac sibi ratione & ad inventio-

ne consuleret: prævidens enim belluam se
insecuturam in via per quam processit *spe-*
cula non pauca ponit, ad quæ perveniens
bellua, in eisq̄ue vultus sui effigiem con-
templans, catulorum raptorum oblivisci-
tur, ferociam ponit, ac ita venatori cum ca-
tulis fugiendi copiam facit. Nos interdum
hujus belluæ morem ad vivum imitamur
dum ad illicitas voluptates honores pra-
vasq̄ue inclinationes majori quam ad ca-
tulos tigris affectu trahimur, ijsq̄ue nobis
divino nutu salutem nostram intendente
aliquando subtractis, omnino ferocire in-
cipimus: Quid hic ageret animarum no-
strarum venator sedulus Deus? venatorem
alium imitatur, & speculum nobis ob ocu-
los ponit *Speculum Injustitiæ* Matrem suam. I-
gitur ad hoc ipsum oculos nostros leve-
mus experiemur & nos, quod mille alij, imo
innumeri hujus speculi intuitione experti
sunt scilicet in nobis oriturum vitiorum
horrorem, passionum indomitarum se-
dationem, & salutis nostræ ac perfectionis
desiderium.

CAPUT